

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Matronae munificentissimae Dorotheae Friedericae  
Lucretiae de Pelcke, natae de Bernhold in Eschau, ...  
parentabunt ... cives ...**

**Sachs, Johann Christian**

**Carolsruhae, 1769**

"Transeundum ad nostram aetatem [...]"

[urn:nbn:de:bsz:31-116002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-116002)



simo GEROLSECCIORVM stemmate, bis mille legavit florenos, quorum usura duo juvenes, liberalibus studiis operaturi fruerentur.

Eundem in finem, eadem conditione mille florenos posteritati donavit FRIDERICI VI. Marchionis conjux, CHRISTINA MAGDALENA, IOANNIS CASIMIRI Comitis Palatini Bipontini filia, ex CATHARINA, CAROLI IX, Regis Sueciae filia, GUSTAVI ADOLPHI Regis sorore, prognata.

Nec reticenda sine piaculo CAROLI MAGNI Marchionis conjux MARIA JULIANA, GEORGII FRIDERICI, Comitis Hohenloici filia; quanquam peregrinis magis, quam civibus benefecisse iis videatur, qui, quam arcto vinculo patria nostra cum florentissima Basilea sit conjuncta, ignorant. Marito anno 1658. extincto superstes, cum sedem Fridlingae, vico ornatissimae Basileae olim vicino, fixisset, centum florenos celeberrimo Gymnasio Basileensi legavit, forsân, ut facilius Badensibus in Athenaeum illud aditus pateret. \*)

Transeundum ad nostram aetatem. Serenissimae MAGDALENAE WILHELMINAE, piae, castae, constantis summa in patriam merita, omni elogio majora, gratissimo animo et nos laeti veneramur, et grata semper posteritas recolet. Haec beatissima HERI nostri CAROLI FRIDERICI, fratrisque, quem habet, Celsissimi WILHELMI LUDOVICI tutrix et avia, ut praeclara in ipsa

---

\*) Vid. elegantissima oratio saecularis, quam amplissimus I. R. THURNI-  
SIUS A. 1760. Basileae habitam edidit.

Loeraci floret,  
Roetelani jecit  
Roetelae, qui  
um reliquerat  
ous, Bernardi  
etelae totidem  
ut usitata lo-  
censis Familiae  
iae Roetelanae  
utem coepere.  
Is anno supe-  
exit provincia-  
raece, ebraice  
tilibus flammis  
ipsis sedes pa-  
ui adhuc fuere  
rectoris digni-  
ogogium.  
cipes foeminae  
MDLXXIV. suis  
c artibus imbui  
CVS Marchio  
ertam pecuniae  
citata exemplo  
ix, ex antiquis-  
simo



ipsa fuit virtutis indoles, ita ut virtus in aliorum pectore altas ageret radices, summo studio contendit. Principes nepotes sollicitè formavit optimos; Gymnasii nostri cum Serenissimo CAROLO AUGUSTO, fratre CAROLI WILHELMI EUGENII, Celsissimae Principis in tutela successore, non mediocrem habuit curam; misellos homines, cum paupertate conflictantes, suis opibus juvit, atque adhuc juvat post fata; juvenumque animi, qui propius attingere ad ipsam videbantur, ut liberalibus artibus imbuti patriae olim usui essent ac commodo, studuit. Testamento igitur mille Imperiales reliquit, quorum foenore juvenes, quos de baptismatis fonte susceperat, aut, si horum numerus defecisset, inopes alii litterarum cultores alerentur.

Fuere praeter tantos, tantasque Principes viri foeminaeque tum nobili tum honesto loco nati, singularique in litteras litterarumque cultores amore insignes, quorum laudabili satis atque egregia liberalitate quum adhuc fruuntur nostrates, eorum memoria apud nos nunquam senescet.

Memorandus omnium primus, ut tum temporis ordinem, tum virorum dignitatem servemus, CHRISTOPHORUS WERTWEINIUS. Is in antiquissima patriae nostrae urbe, Pforzhemii, (ecquis patriam ignorat REUCHLINI, qui toti Germaniae decus ac lumen intulit,) natus, cum sacro se statui dicasset, temporis progressu ad summos honores evectus. In Academia Tubingensi aliisque summa industria litterarum studiis operatus Theologiae Doctoris dignitate ornatus est. Protonotarius Apostolicus a Pontifice Maximo, ab Imperatore Comes Palatinus creatus, Canonicus Augustanus, Ecclesiae  
Cathe-